S. IRENÆI

LUGDUNENSIS EPISCOPI

DE OPERE ET BENEFICIIS D. N. JESU CHRISTI

SENTENTIA.

DISSERTATIO DOGMATICO-HISTORICA

QUAM, DEO BENE VERTENTE,

Consensu et auctoritate amplissimi ordinis Theologorum Argentorati florentis

DIE XVI MENSIS JULII ANNI MDCCCLXIX

hora post meridiem quarta

PRO CAPESSENDIS LICENTIATI THEOLOGIÆ HONORIBUS

PUBLICE DEFENDET

CAROLUS HACKENSCHMIDT

V. D. M.

ARGENTORATI

EX TYPIS G. SILBERMANN, IN PLANTEA SANCT-THOMÆ, 3

1869

DOCTISSIMO VIRO, AMICO DILECTISSIMO

FREDERICO SCHULTZE

ECCLESIÆ QUÆ EST IN OPPELN (SILESIÆ SUPERIORIS URBE NOBILISSIMA), MINISTRO

autor temporis communiter peracti memor

hanc dissertationem grato animo dicat.

ΔΙ ΕΝΟΣ ΠΑΝΤΕΣ.

PRÆSIDE VIRO SUMME COLENDO

EDUARDO REUSS

moderabantur solemne publicum examen

TRIUMVIRI DOCTISSIMI

EDUARDUS REUSS,

CAROLUS SCHMIDT,

TIMOTHEUS COLANI.

s. s. theologiæ DD. et PP. OO.

S. IRENÆI

DE OPERE & BENEFICIIS D. N. JESU CHRISTI DOCTRINA.

Inter omnes primævæ ecclesiæ scriptores nullus nobis studio et repetita tractatione dignior videtur quam Irenæus, non tantum propter oblectationem quam ipsa operis excellentia, eruditionis profunditas, sagacitas argumentorum, opinionum denique veritas diligenti lectori afferunt, quam propter cognitionem doctrinæ, sive hæreticæ, sive ecclesiasticæ illius temporis, cujus nullum meliorem testem habemus. Nam quomodo doctrinas Gnosticorum quales in Basilidis et Valentini scholis florebant, accuratissime, ut nunc apud plerosque theologos constat, descripsit, ita etiam in eorum refutatione non tam suas opiniones quam potius, ut sæpe asseverat, communem ecclesiæ fidem, receptamque temporis sui doctrinam exposuit. Nec fuit profecto quisquam aptior ad eam referendam quam autor noster, quippe qui, in Asia proconsulari natus et eruditus[1], quum postea in Gallia munere Episcopi fungeretur, Orientalis pariter ac Occidentalis Ecclesiæ rationem intelligere doctrinasque cognoscere potuit.

Obs. Litteræ *V. I.* veterem interpretem designant; *Gr.* editionem autoris nostri ab Joh. Ern. Grabio factam (1702); *M.* eam quam Ren. Massuetus (1712), *St.* quam Ad. Stieren (1853) edidit. Ubi nihil annotavimus, habes lectionem a tribus illis editoribus receptam.

[1] Contra Haer., III, 3, 4. Euseb. H. eccl., V, 20.

Hoc vero præsertim nos libros ab Irenæo scriptos perlegentes, admiratione haud mediocri implevit, quum vidimus quam suavis et alta de opere salutari Domini Nostri doctrina antiquissimis illis temporibus in Ecclesia vigebat; et conati sumus Irenæi dicta, quæ ad hunc locum pertinent, colligere atque in ordinem seriemque redacta exponere, ut exinde benevolus lector judicare possit num hi recte dicant, qui affirmant theologiam christianam ante Anselmum Cantuariensem Episcopum nihil idonei de Redemptione professam esse. Antequam autem exponamus quid de hac quæstione sentiebat autor noster vel potius cœtus christianorum altero labente sæculo, ostendi oportet quas opiniones falso ei adscriptas revera non tenebat.

Nam quum Irenæus frequenter dixit morte vel sanguine D. N. homines redemptos esse[1], duplex inde depravatio ejus sententiæ orta est. Alii, referentes hæc verba ad doctrinam de satisfactione vicaria quæ posterioribus temporibus in Ecclesia prævaluit, contendebant jam Irenæum docuisse, non expressis sane verbis, Dominum Nostrum vita sua debitum nostrum justitiæ divinæ persolvisse, morientemque nostrum vice pœnas divinas luisse; quam interpretationem suffulciebant loco ubi Christus «hostia ad redemptionem nostram» vocatur[2], illud prætermittentes hic Christum hostiam dici, non quia se Deo in sacrificium obtulerit, sed quoniam eum Pater hominibus ad eorum salutem tradiderit. Nec magis ad hoc argumentum valet alius locus ubi Christus Sacerdos indicitur «propitians pro hominibus Deum;» nam ex iis quæ sequuntur patet Irenæum

[1] IV, 28, 3. — V, 1, 1. — V, 2, 1 etc. Fragm. XL (St., p. 888).
[2] IV, 5, 4.

hac formula ad consuetudinem Hebræorum allusisse qua, quotiescunque Sacerdos moriebatur, exsules in patriam restituebantur[1]. Alii e laudatis formulis colligebant jam Irenæum professum esse (cujus tamen doctrinæ certa vestigia non ante Originem reperiuntur) Christum vitam suam Diabolo ad redemptionem nostram tradidisse, hoc scilicet pretio homines quos ille detinebat liberaturum, ipsum autem Diabolum deinde per resurrectionem suam dato pretio frustravisse. Quæ eorum interpretatio uno loco nititur, cui tamen, ut videbimus, falsum subdunt sensum.

His præmissis, lectoreque præmonito ne illos sequatur qui verbis aliquibus a vero sensu detortis abutentes scriptori suam opinionem obtrudunt, ipsam jam rem aggrediemur, quæsitisque prima in parte dissertationis nostræ rationibus quibus secundum Nostrum Redemptor desiderabatur, in altera exponere studebimus beneficia quæ merito vitæ suæ necnon mortis cruentæ generi humano peperit[2].

I. De necessitate adventus Domini Nostri.

Impiissimæ Gnosticorum opinioni hominem « fructum labis et ignorantiæ » esse [3], h. e. eum ab inferiore quodam Deo seu Demiurgo, qui ipse per defectionem

[1] « Non enim solvebat, sed adimplebat legem, summi sacerdotis operam perficiens, propitians pro hominibus Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse moriens ut exsiliatus homo exiret de condemnatione et reverteretur intrepide ad suam hereditatem. » IV, 8, 2.

[2] Confer Ad. Stieren, *De Irenæi adversus hæreses operis fontibus, indole, doctrina et dignitate.* Gött. 1836. — E. Dunker, *Des heil. Irenæus Christologie.* Gött. 1843. — Præterea Baur, Thomasius et Dorner, amplissimos viros, in Libris eorum ad Christologiam pertinentibus.

[3] Ὑστερήματος καρπός. I, 19, 1.

ultimi Æonis, ut dicunt, originem acceperit, contra Supremi Dei voluntatem formatum esse, Irenæus non semel tantum veram atque sanam Sacrarum Scripturarum sententiam opponit, scilicet hominem ab ipso Supremo Deo creatum esse, Deumque eum formavisse non ab alio coactum, sed mera sua dilectione motum, non in suam contumeliam, sed gloriam, non in hominis damnum, sed ad ejus bonum. Nam non tum modo quum hominem redemerit, sed jam quum eum creaverit, salutem et beatitudinem hominis suæque caritatis manifestationem spectabat, talemque homini vitæ conditionem fecit quæ utrique ejus creationis fini maxime conveniebat [1]. Objicientibus autem Hæreticis ignorantiam, peccatum, morbos et cetera huic hominum conditioni adhærentia mala, Irenæus duplicem hujus rei, quæ sane negari non potest, explicationem affert.

A. Primum observandum est hominem hac in terra in statu imperfectionis versari, quis vero hoc in Creatore vituperare auderet quod imperfectum fecerit hominem? Homo creatura est, nimirum imperfectio est creaturæ proprium [2]. Nihilominus prodigio quodam divini amoris homo ad talem perfectionis gradum destinatus est, ubi jam desinit imperfecta creatura esse [3]. Ad hanc nempe finem creavit eum Deus ut per Dei

[1] «Non quasi indigens Deus hominis, plasmavit Adam, sed ut haberet in quem collocaret sua beneficia.» IV, 14, 1. — «Gloria hominis Deus, operationis [sic pro *operationes* conjiciunt Gr. St.] vero Dei et omnis sapientiæ ejus et virtutis receptaculum homo.» III, 20, 2. — «Homo exceptorium bonitatis et organum clarificationis Dei.» IV, 11, 2. Cfr. IV, 20, 7.

[2] Καθὸ δε μή ἐστιν ἀγγένητα, κατὰ τοῦτο καὶ ὑστεροῦνται τοῦ τελείου. IV, 38, 1.

[3] Δόξαν ἀγγενήτου ἀποίσεται (ἄνθρωπος).... IV, 38, 3.

cognitionem in communitatem Dei ascenderet, ad plenam Dei similitudinem perveniret et in Dei societate æterna et beata vita participaretur. Quid vero mirum si non statim quum eum formavit Conditor homini perfectionis illius plenitudinem concesserit? Sane homo nuper factus adhuc infans, adhuc rudis et debilis erat, quomodo molem horum bonorum, quæ etiam angelorum vires superat, sustinuisset[1]? Homo recens ab origine perfectionis incapax erat; creaturæ enim perfectæ fieri, non autem perfectæ nasci possunt. Semper humilem habent originem, et deinde certis gradibus progredientes, per certum tempus crescentes, post longam evolutionem denique ad absolutionem suarum naturarum, ad præfinitum scopum mensuramque prædestinatæ perfectionis perveniunt[2]. Etiamsi fortasse Deus humanam creaturam ab hac lege excipere et statim post ejus formationem ad fastigium perfectionis extollere potuisset, hoc tamen non fecisset, ipsa hominis utilitate considerata; nam non satis æstimaret homo summum bonum quod tam cito adeptus esset, nec id magni faceret quod sine lucta, sine labore, sine proprio motu, nascens jam possedisset[3]. Denique concreata perfectio naturæ hominis repugnavisset, nam

[1] Ὁ θεὸς οἵός τε ἦν παρασχεῖν ἀπο ἀρχῆς τῷ ἀνθρωπῷ τὸ τέλειον, ὁ δε ἄνθρωπος ἀδυνατος λαβειν αὐτό. νήπιος γὰρ ἦν. IV, 38, 1.

[2] « Fieri proprium est hominis naturæ. » IV, 39, 2. — « Hoc Deus ab homine differt, quoniam Deus quidem facit, homo autem fit; et quidem qui facit semper idem est, quod autem fit et initium et medietatem et adjectionem et augmentum accipere debet. » 11, 2.

[3] Οὐχ ὁμοίως ἀγαπᾶται τὰ ἐκ τοῦ αὐτομάτου προσγενόμενα τοῖς μετὰ (πολλῆς) σπουδῆς εὑρισκομένοις.... Esset insensatum bonum quod esset inexercitatum... Cœleste regnum honorabilius est his qui cognoverunt terrenum. IV, 37, 7.

quum voluntate prædítus sit, non sine voluntatis motu et actione perfectus existere debet [1].

Primus igitur homo ut creatura debilis, terrestris, mortalis, e manibus Summi Artificis exiit, minime vero ut in hac conditione maneret, sed ut postea ad meliorem progederetur, uti post hanc vitam, non sine proprio labore et virium suarum contentione, in novam superiorem vitæ formam transponeretur. Præceptum divinum « Crescite et multiplicamini! » (Gen. I, 28) non hoc solum intendit ut homines corpore et spiritu adolescant, nec de sola procreatione intelligi vult, imo potius hac benedictione Deus hominibus promisit genus humanum, facultatibus suis opibusque Dei gratia semper auctis, nova semper a Deo incrementa accipiens, novisque assidue donis ditatum, præfixo tempore primæ suæ conditionis infirmitatem prorsus supergressurum [2]. Ad hoc factus est homo ut « proficiat ad Deum. » Nunc sapit ut parvulus, sed videbit Deum « facie in faciem; » materiæ vinculis constrictus est, liberabitur autem et novum spirituale corpus induet; nunc mortalis est, atqui a Deo donum incorruptelæ expectat [3]; in Regno terrestri versatur, transmigraturus in cœleste; homo est, Deus erit [4]. Similis est hujus ævi

[1] IV, 37, 6.

[2] « Plasmavit eum in augmentum et incrementum. » III, 11, 1. — « Oportebat homines primo adolescere. » III, 22, 4. — Ἔδει δὲ τὸν ἄνθρωπον πρῶτον γενέσθαι, καὶ γενόμενον αὐξῆσαι, καὶ αὐξήσαντα ἀνδρωθῆναι (corroborari), καὶ ἀνδρωθέντα πληθυνθῆναι, καὶ πληθυνθέντα ἐπισχῦσαι, καὶ ἐπισχύσαντα δοξασθῆναι, καὶ δοξασθέντα ἰδεῖν τὸν ἑαυτοῦ δεσπότην. IV, 38, 3.

[3] IV, 14, 1. — II, 34, 3. — IV, 5, 1.

[4] « Primum quidem homines, tunc demum Dii. » IV, 38, 4. — « Oportet te primo quidem ordinem hominis custodire, tunc deinde participari gloriæ Dei. » IV, 39, 2. — Deificationem hominis sperat etiam Hippolytus, Philosophoumena, in Epilogo.

homo luti massæ quæ a sculptore tantum formari incipitur; dum nunc nihil præter vilem et ponderosam substantiam in eo conspicitur, caro scilicet morbis, affectibus et corruptioni subjecta, in perfecto opere rudis massa, artificis arte abscondita et pæne deleta, in ipsius Dei formam et imaginem transfigurata erit [1]. Prima divina inspiratione (Gen. II, 7) homo tantum afflatum vitæ (πνοὴν ζωῆς) accepit, nempe animam vivam, terrestris vitæ fontem et principium; quamobrem etiam mortalis est, nam afflatus corpus quando vult deserit, corpus derelictum ab anima in pulverem dissolvitur, disjunctio autem animæ a corpore hominis finis et interitus est. Ad veram sempiternam vitam homini Spiritu vivificante opus est, ut per eum ab animali spiritualis efficiatur, in societatem Dei admittatur, primæque conditionis infirmitate eximatur [2].

Perficiendus igitur erat homo ad imaginem et similitudinem Dei. Ad consummandam primam creationem, quæ homini non ea omnia tribuit quæ veri hominis naturam constituunt, altera creatione opus erat, atque

[1] « Oportuerat primo naturam apparere, post deinde vinci et absorbi [l. absorberi] mortale ab immortalitate et corruptibile ab incorruptibilitate, et fieri hominem secundum imaginem et similitudinem Dei. » IV, 38, 4. « Custodiens compaginationem ascendes ad perfectum : ab artificio enim Dei absconditur, quod est in te lutum. Fabricavit substantiam in se manus ejus ; liniet te ab intus et a foris auro puro et argento, et in tantum ornabit te ut et ipse Rex concupiscat speciem tuam. » 39, 2.

[2] « Per priorem generationem mortem hæreditavimus. » V, 1, 3. — « Ἕτερόν ἐστιν πνοὴ ζωῆς, ἡ καὶ ψυχικὸν ἀπεργαζομένη τὸν ἄνθρωπον, καὶ ἕτερον πνεῦμα ζωοποιοῦν, τὸ καὶ πνευματικὸν αὐτὸν ἀποτελοῦν... ἡ πνοὴ πρόσκαιρος, τὸ δέ πνεῦμα αἔνναον. Oportuerat primo plasmari hominem et plasmatum accipere animam; deinde sic communionem Spiritus recipere. Quapropter et primus Adam factus est a Domino in animam viventem, secundus Adam in Spiritum vivificantem. » V, 12, 2.

per quem alium Deus Omnipotens inchoatum hominem absolvisset, nisi per illum per quem etiam hominem condiderat, per Verbum suum Dominum Nostrum? Redemptorem igitur genus humanum jam propter primæ conditionis imperfectionem exposcebat, indiguissetque Christi salutifero adventu etiamsi non in peccatum incidisset.

B. Nihilominus magnopere falleremur si omnia quæ nunc in statu nostro deploramus illi primæ conditionis imperfectioni adscribenda esse, solamque adventus D. N. rationem fuisse ut hunc defectum corrigeret, affirmaremus. Alii et graviori causæ imputandum est quod hoc in ævo humanum genus in conditione versetur quæ tam misere abhorret a consilio divino, culpæ scilicet quam primi homines in omnium detrimentum contraxere.

Imperfectissimi erant Protoplasti, debili corpore rudique adhuc mente. Attamen, quamvis nondum conformes essent consilio Dei Creatoris, huic quidem non repugnabant. Distabant a scopo, omnia tamen habebant quæ ut ad scopum constanti et apto progressu pervenirent necessaria erant. Jam quasi primitias quasdam atque semina futuræ dignitatis in se ferebant, inchoatamque et adumbratam imaginem et similitudinem Dei [1]. Quid vero factum est? Suæ potestatis erat Adam [2], ab ejus igitur arbitrio pendebat utrum perseveraret in via perfectionis in qua positus erat, nec ne; utrum se submitteret an subtraheret manibus Artificis.

[1] IV, præf. 4. — V, 10, 1.

[2] IV, 4, 3. — « Liberum eum Deus fecit ab initio habentem suam potestatem... Posuit in homine potestatem electionis. » — 37, 1.

Alterum elegit homo, perverse abusus est concessa libertate; astutia diaboli victus Deo decedit cui cor molle et tractabile offerre debuisset [1]; in peccatum lapsus est quanquam rectum bonumque eligere potuisset. Nil mirum tamen quod cecidit, nam simplici animo erat, non præmonitus de tentatoris caliditate, et ignorabat quo consilio factus esset, quia nondum in Verbo incarnato veram et perfectam Dei imaginem intueri poterat [2]. Deus autem defectionem non impedivit; nolebat enim vi cogere liberam voluntatem [3], neque ignorabat peccati interventionem, proposito suo, hominis saluti, magis favere quam nocere, ac ex ipsa defectione majus homini bonum, majorem sibi gloriam evasuram. Nam manifestum est peccati experientiam multum hominibus prodesse, hominem a perditione revocatum, respectu pristinæ impietatis humiliorem, respectu misericordiæ Deo magis devotum esse, magis odisse peccatum cujus amaritudinem et horrorem ipse senserit, magis diligere justitiam et vitam divinam postquam ad tempus ab his bonis alienatus esset, firmiorem denique fieri virtutem per impugnationem mali [4].

[1] IV, 39, 2.

[2] Ἔτι γαρ ἀόρατος ἦν ὁ Λόγος, οὗ καί εἰκόνα ὁ ἄνθρωπος ἐγεγόνει. Διὰ τοῦτο δὴ καὶ τὴν ὁμόιωσιν ῥᾳδίως ἀπέβαλεν. V, 16, 2. — [Sic etiam secundum Cyrillum adv. Nestor. III, 2, primi hominis conditio fuit τὸ εὐπὸριστον εἰς ἁμαρτίαν.]

[3] Βία θεῷ οὐ πρόσεστιν. IV, 37, 1.

[4] «Magnanimus igitur fuit Deus, deficiente homine, eam quæ per Verbum esset, victoriam reddendam ei prævidens... Sicut enim patienter sustinuit absorberi Jonam a ceto, non ut absorberetur et in totum periret, sed ut evomitus magis subjiceretur Deo, et plus glorificaret eum,... sic ab initio fuit patiens Deus hominem absorberi a magno ceto, qui fuit auctor prævaricationis, non ut absorptus in totum periret, sed præstruens et præparans adinventionem salutis quæ facta est a

Tametsi ita Deus omnia ad summum bonum humani generis vertit, nihilominus magna calamitas primum delictum secuta est, transgressioneque sua Protoplastus non modo suam, sed omnium qui post eum in lucem prodituri erant, conditionem misere corrupit.

1) Primo amisit inceptam Dei imaginem primitiasque Spiritus Dei quibus tunc fruebatur. Idcirco truncatam heredibus suis naturam humanam reliquit; nos omnes in patre patris culpa concreatum ejus patri-

Verbo... ut non glorietur in conspectu Domini omnis caro (1 Cor. I, 29) nec unquam de Deo contrarium sensum accipiat homo, propriam naturaliter arbitrans eam, quæ circa se esset, incorruptelam, et non tenens veritatem, inani supercilio jactaretur, quasi naturaliter similis esset Deo.» III, 20, 1. — (Cfr. V, 21, 3 in fine: «ut experimento discat homo quoniam non a semet ipso, sed donatione Dei accipit incorruptelam.») — «Videre non in tantum nobis esset desiderabile, nisi cognovissemus quantum esset malum non videre: et bene valere autem male valentis experientia honorabilius efficit; et lucem, tenebrarum comparatio et vitam, mortis... Pro nobis igitur omnia hæc sustinuit Dominus [h. e. ni fallor: «ad nostrum commodum permisit hæc fieri»] uti per omnia eruditi, in omnibus in futurum simus causi et perseveremus in omni ejus dilectione, rationabiliter edocti diligere Deum: Deo quidem magnanimitatem præstante in apostasia hominis, homine autem erudito per eam, quemadmodum et Propheta ait: Emendabit te abscessio tua (Jer. XI, 19); præfiniente Deo omnia ad hominis perfectionem et ad efficaciam et manifestationem dispositionum: uti et bonitas ostendatur et justitia perficiatur et Ecclesia ad figuram imaginis Filii ejus coaptetur, et tandem aliquando maturus fiat homo, in tantis maturescens ad videndum et capiendum Deum.» IV, 37, 7. — «(Cognovit homo et bonum et malum) uti oculus mentis utrorumque accipiens experimentum, electionem meliorem cum judicio faciat... Quemadmodum lingua per gustum accipit experimentum dulcis et amari, et oculus per visionem discernit quod est nigrum ab albo, et auris per auditum differentias sonorum scit, sic et mens per utrorumque experimentum disciplinam boni arripiens, firmior ad conservationem ejus efficitur... ex comprehensione discens, quale sit quod est contrarium bono et dulcedini.» IV, 39, 1.

monium deperdidimus[1]. Quum autem Spiritus Sanctus vis effectrix omnium bonorum in anima humana sit, qui si adsit sponte omnes nascuntur in homine virtutes, sin autem deficiat nihil habet homo quod opponat appetitionibus carnis, Adami culpa genus humanum vera vita privatum est[2], sanctitatem amisit quam a Spiritu Sancto acceperat[3], ligno arido[4], sterili oleastro simile[5] nihil boni proferre valet, libidinum aculeis stimulatum[6], in omnia potius facinora erumperet, nisi humana auctoritas civilesque leges eos inter quosdam humanæ justitiæ terminos cohiberent[7].

2) Homo quum in Paradiso præceptum Dei transgrederetur, angeli apostatæ perfidum consilium secutus, sponteque se ab eo depravari passus est. Itaque victus a diabolo et vinculis colligatus est, et quomodo servi alicujus liberi jam nascentes paternæ conditionis participes fiunt, sic tota Adami progenies per patris cladem in diaboli servitute est, ab eo semper ad novas transgressiones impellitur et denique nisi redimatur in eamdem cum illo damnationem incidit[8]. — Hæc autem quæ hic de diaboli dominatione dicta sunt non ita in-

[1] Quod perdideramus in Adam, id est, secundum imaginem et similitudinem esse Dei.... III, 18, 1. Cfr. V, 16, 2.

[2] «Victus erat Adam, ablata ab eo omni vita.» III, 23, 7.

[3] III, 23, 5. — [4] III, 17, 2. — [5] V, 10, 1. — [6] III, 9, 3; V, 14, 2.

[7] «Quoniam enim absistens a Deo homo in tantum efferavit ut... in omni inquietudine et homicidio et aviratia sine timore versaretur, imposuit illi Deus humanum timorem (non enim cognoscebant timorem Dei) ut potestati hominum subjecti, et lege eorum adstricti, ad aliquid assequantur justitiæ [M. conjecit pro assequantur, *pertingant*. St. construit *assequantur justitiæ ad aliquid*, ἐπιτυγχάνωσι δικαιοσύνης]. » V, 24, 2.

[8] «...Eum qui in initio in Adam captivos duxerat nos.» V, 21, 1; XXIV, 4; III, 23, 2; IV, 41, 2.

telligenda sunt quasi jure quodam divino nunc iste genus humanum opprimeret. Nam quum injustissimo raptu quæ Dei erant sua fecit[1], coram Deo nullum in homines jus habet; coram hominibus autem legitima est ejus auctoritas quippe qui voluntario se ei subdiderint novisque semper peccatis nova se in vincula conjiciant.

3) Quum homo inimico Dei obedire maluit quam Deo, ipse Dei inimicus factus est; proavi vero scelus a Deo toti generi imputatum est. Illius culpa omnes homines Dei inimici et debitores constituti sunt, ut qui omnes in eo Dei legem conculcaverint, auctoritatem dejecerint majestatemque læserint[2].

4) Eodem modo quo Deus quos diligit innumeris donis ornat, ita quos propter defectionem et peccatum in odio habet, ira sua innumerisque pœnis persequitur; vel sicut summum bonum in Dei amore positum est, ita separatio a Deo summum malum omniumque miseriarum fons est[3]. Primi hominis culpa totum genus mortis pœna tenetur[4]. Hinc omnes dolores et infirmitates quæ

[1] «Prævaricationem inique inferens ei.» III, 23 1. — «Injuste dominabatur nobis apostasia, et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos.» V, 1, 1.

[2] «Ea quæ ab initio in ligno facta fuerat inobedientia...» Ἐν τῷ πρώτῳ Ἀδὰμ προσεκόψαμεν (Θεὸν)... ᾧ μεν ὀφειλέται ἐκεινῷ οὗ καὶ τὴν ἐντολὴν παρέβημεν ἀπ' ἀρχῆς. V, 16, 3. Cfr. 14, 3: «propter peccata et transgressionem erant abalienati.» III, 10, 1. — «In illa plasmatione quæ secundum Adam fecit, in transgressione factus homo indigebat lavacro regenerationis.» V, 15, 3. Cfr. 17, 1.

[3] Χωρισμὸς Θεοῦ ἀποβολὴ πάντων τῶν παρ' αὐτοῦ ἀγαθῶν.

[4] Cfr. III, 19, 3. «Homo fuit desobediens Deo, et projectus de immortalitate.» III, 20, 2. — «Eva, inobediens facta et sibi et universo generi humano causa facta est mortis.» III, 22, 4. Cfr. IV, 2, 7; IV, 22, 1. — «Per hominem victum descendit in mortem genus nostrum.» V, 21, 1.

præter naturalem imperfectionem vitam humanam prægravant[1]. Hac causa fit quod corpus nostrum creatum ut ad incorruptelam evehatur, ab anima desertum in elementa sua dissolvatur. Propter peccatum denique ipsa terra, habitatio nostra ab antiqua præstantia deformata est[2].

Hæc fuit multiplex calamitas quæ mali spiritus artificio, hominum vero culpa, in genus nostrum irrupit. Attamen non insanabile erat vulnus, non sine remedio lapsus hominis, sicut fuerat lapsus angeli apostatæ. Quomodo enim eamdem sententiam, qua diabolum reprobaverat, Deus etiam in hominem tulisset, qui non ipse peccati autor et inventor fuit, sed propter infirmitatem et ignorantiam ab alio pejore deceptus est? Quomodo non misertus esset hominis qui post lapsum suum statim domestici judicis et Dei voce conterritus, pœnitentiam agere cœpit et succinctorio ex asperis ficuli foliis facto, membra sua contegens, hoc indumento contumeliam suam et indignitatem supplex declaravit[3]? Quomodo tolerasset consilium suum pravi spiritus astutia ab initio irritum fieri[4]? Ut autem homo liberaretur, non ipsius hominis vires sufficiebant, Redemptore opus erat, solus Deus ad instaurationem creaturæ suæ valebat[5].

— Mors, plaga per quam percussus est homo initio in Adam inobediens. V, 34, 2. Cfr. Iren. Fragm. XII (St., p. 831).

[1] «Propter inobedentiæ peccatum subsecuti sunt languores hominibus.» V, 15, 2; 23, 1. — [2] III, 23, 2. — [3] III, 23, 5, ss.

[4] «Si enim qui factus fuerat a Deo homo ut viveret, hic, amittens vitam, læsus serpente qui depravaverat eum, jam non reverteretur ad vitam sed in totum projectus esset morti, victus esset Deus et superasset serpentis nequitia voluntatem Dei. » III, 23, 1.

[5] «Per semetipsos non habebant salvari.» III, 20, 3. Ebionitis respondet Ir.: Πῶς δύνανται σωθῆναι, εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἦν τὴν σωτηρίαν

II. De opere salutari Domini Nostri.

Ex his quæ præmisimus satis perspicue sequitur juxta Irenæi sententiam duplicem causam fuisse cur exspectaretur Domini Nostri interventio : 1) ut homo lapsus ad primam integritatem restitueretur; 2) ut homo imperfectus consummaretur ad perfectionem.

Utrumque igitur munus D. N. uno in adventu obivit, genus humanum redintegravit idemque perfecit; virtutes quas Deus hominibus initio contulerat peccati vero casus inquinaverat, sanavit; virtutes autem quæ adhuc desiderabantur eis benigne largitus est. Utramque autem operationem uno nomine designavit Irenæus : *Recapitulationem* (*ἀνακεφαλαίωσιν*) vocat, cujus termini ancipitem vim ipsam rem examinando excutiemus.

A. *De opere Redemptionis.*

Miranda Dei gratia et benevolentia statim post lapsum hominis opus Redemptionis initium habuit. Nam ne ultra modum laberetur homo Deus verbis maledictionis Serpentis malitiam detexit (Gen. III, 14 sq.), in hominis corde seductoris odium suscitavit, et sic eumdem quem iste hostem Dei facere voluerat, adduxit ut potius autorem calamitatis suæ detestaretur, inimici inimicus esset neque libenter, sed invitus, cum indignatione et tædio, impositum jugum ferret[1]. Tunicæ autem

αὐτῶν ἐπὶ γῆς ἐργασάμενος; quomodo eum qui adversus homines fortis erat, qui non solum vicit hominem, sed et detinebat eum sub sua potestate, devicit, et eum quidem qui vicerat, vicit, eum vero qui victus fuerat, hominem dimisit, nisi superior fuisset eo homine qui fuerat victus...?» IV, 33, 4.

[1] Τὸν τὴν παράβασιν εἰσενεγκόντα, ἀφώρισε τῆς ἰδίας μετουσίας, τὸν δὲ ἀμελῶς μέν, ἀλλὰ κακῶς παραδεξάμενον τὴν παρακοὴν ἄνθρωπον

pelliceæ quas Deus parentibus nostris dedit, primum gratiæ signum erant. Quin etiam ipsa mors beneficium fuit; nam mortis gratia præciditur peccatum, prohibeturque quominus fiat «malum interminabile et insanabile[1].» Tum Deus fœdus cum populo Judæorum pepigit, præceptisque propositis quæ vires naturales non excedebant, eos promissionibus et minis allexit ut illam propter hominum infirmitatem relaxatam et quodammodo imminutam legem implere conarentur, cessantesque peccare Deum diligere inciperent[2]. Non tamen lex ipsa salus fuit, disciplina modo qua homines ad veram Dei dilectionem præstruebantur[3]. Nam Veteris Fœderis cives servorum more Deum colebant, externis operibus magis quam internis animæ motibus, Deique bona plus quam ipsum diligentes Deum[4]. Ut autem veram et integram legem vera et integra obedientia implerent, antea animæ a peccato liberandæ et ad veram vitam ipsius Dei gratia regenerandæ erant[5].

Ad hoc gloriosissimum reformationis antiquæ hominum naturæ opus, tempore a Deo præfinito Filius Dei in Virginis sinu homo factus est. Filius Dei erat Jesus; non enim merus homo homines redimere potuisset[6].

ἐλεήσε, καὶ ἀντέστρεψε τὴν ἔχθραν, ἥν ἐχθροποίησε, πρὸς τὸν αὐτόν [retorsit inimicitiam per quam inimicum Deo facere voluit in ipsum inimicitiarum auctorem V. I.] ἀπωσάμενος μὲν ἀφ'ἑαυτοῦ τὴν πρὸς αὐτόν ἔχθραν [h. e. inimicitiam hominis in Deum. V. I. M. Gr. legunt: τὴν πρὸς ἄνθρωπον ἔχθραν, sed falso] ἀνακλάσας δὲ αὐτήν, καὶ ἀντιπέμψας πρὸς τὸν ὄφιν, καθὼς ἡ γραφή φησιν εἰρηκέναι τῷ ὄφει τὸν Θεὸν... Gen. III, 15.» IV, 40, 3.

[1] III, 23, 5. 6. — [2] IV, 15, 1 sqq. — [3] IV, 16, 3.

[4] «Servitutis præcepta præcepit populo, apta illorum eruditioni.» IV, 16, 5.

[5] De regenerationis necessitate contra Ebionitas cfr. IV, 33, 4.

[6] III, 19, 1 sqq.

Homo factus est, quoniam quæ homo perverterat ab homine etiam restauranda erant[1]. Ideo etiam atque etiam cum magna vi Irenæus contra Gnosticos asseverat, Redemptorem non, quod illi dicebant, « hominem imputativum » fuisse, sed verum hominem, ejusdem ac nos substantiæ, vero humano corpore, vera humana anima præditum[2], quod satis declararent dolores, quas in vita et morte, animo et corpore humano more pertulerit. Duabus modo rebus natura ejus a nostra differebat, primum quod sine humano Patre procreata, tum quod peccati expers esset; quibus autem nobis dissimilis, his primo homini par erat[3].

Quidnam autem ad lapsus remedium exigebatur? Homo liberandus erat a diaboli potestate, purificandus a peccati contaminatione, reconciliandus Deo, redimendus a morte. Jesus igitur, ut hæc mala, quæ primus homo male agens in se et progeniem suam admisit, bene agens a genere humano amoveret, primi hominis naturam assumpsit, opus ejus denuo suscepit, correcturus quæ ille depravaverat. Nostram vicem explevit, nostram causam dixit, totius generis naturam in sua persona emundavit. Quæ omnia uno verbo Recapitulationis exprimit Irenæus : « Christus, inquit, antiquam plasmationem in semet ipsum recapitulavit » h. e. naturam primi hominis *suscepit*; quia autem om-

[1] «Neque enim juste victus fuisset inimicus, nisi ex muliere homo esset, qui vicit eum.» V, 21, 1. Εἰ γὰρ μὴ ἄνθρωπος ἐνίκησεν τὸν ἀντίπαλον τοῦ ἀνθρώπου, οὐκ ἂν δικαίως ἐνικήθη ὁ ἐχθρός. Πάλιν τε εἰ μὴ ὁ Θεὸς ἐδωρήσατο τὴν σωτηρίαν, οὐκ ἂν βεβαίως ἔσχομεν αὐτήν. III, 18, 7.

[2] Cfr. præsertim V, c. 14. «Nos quoniam corpus sumus de terra acceptum et anima accipiens a Deo spiritum, omnis quicunque confitebitur. Hoc itaque factum est verbum Dei.» III, 22, 1. 2; V, 1, 2.

[3] III, 21, 10.

nes hanc naturam hæreditate acceptam ferimus, omnes homines Salvator *summatim in se comprehendit*; in hac degens natura *vitam primi hominis repetivit*, repetens eam omnimodo *emendavit*, emendatamque discipulis suis transmittens, novi generis autor et pater factus est[1].

1) Ante omnia pravus Spiritus expugnandus erat, a quo quamdiu coercebantur homines, nullus ad Deum reditus sperandus erat. Vidimus autem diabolum nullum coram Deo jus in homines habuisse; ab hac parte nihil itaque obstabat quominus Deus sola sua potentia ac vi usurpatum ejus imperium tolleret. Respectu tamen hominis juris aliquid habebat ejus auctoritas; nam peccando homines se sponte jugo ejus subdiderunt, perseverantesque in peccato auctoritatem illam injustissimam semper stabiliebant et confirmabant. Proinde si Deus violentia adversus inimicum usus esset, aut liberum hominis arbitrium delevisset, aut injuriam fecisset diabolo, potestatem ei libere ab hominibus concessam eripiens. Una porro supererat via et quæ benevolentiæ Dei et justitiæ pariter conveniebat, videlicet ut ipse homo retractaret et resumeret quod diabolo concesserat et vinceret eum a quo victus erat, ipsaque insuper ratione eum vinceret qua victus esset. Quia tentationi succubuit et peccator constitutus est, victus erat primus Adam; alter vicit, quum tentationi restitit seductoremque ipsum ut inimicum Dei et legis transgressorem constituit.

[1] Τὴν ἀρχαίαν πλάσιν τοῦ Ἀδάμ εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο. V, 1, 2. — «Recapitulavit universum hominem in se ab initio usque ad finem.» V, 23, 2. — «Principalem hominem, illum ex quo ea quæ secundum mulierem est plasmatio facta est, in semet ipsum recapitulans.» V, 21, 1 [principalis homo, ἀρχαῖος ἄνθρωπος, *der ursprüngliche Mensch*].

Primo itaque Salvator antiquam luctam generis humani suscepit, repetivit, consummavit; « inimicitiam a Deo inter homines et diabolum positam recapitulavit[1]; » in aciem et ordinem veteris prœlii se constituit, hominumque commilito et propugnator factus pro hominibus victoriam reportavit. Iisdem adeo armis, iisdem dolis quibus in prima cum hominibus contentione victor evaserat, diabolus ad pugnam iterum provocatus, Salvatorem, cujus divinam originem ignorabat, aggressus est; iisdem vero in rebus in quibus Adam deliquerat, Jesus divinæ voluntati obediens fuit : oblato cibo (Matth. IV, 3) hic maluit esurire, ubi ille sine pudore manus injecerat[2]; sollicitatus ut se a pinnaculo templi demitteret, maluit humilis remanere ordinemque humanæ debilitatis servare (Matth. IV, 7), dum Adam proterve divinam gloriam sibi arripere voluerat[3]; — omnibus denique hujus Sæculi Regnis oculis suis exhibitis (Matth. IV, 8), religionem immotus retinuit quam Adam minoris boni gratia leviter respuerat[4]. Ita impetus diaboli repellens se totumque genus humanum ejus potestati subtraxit. Insuper ter a diabolo tentatus, ter ei præceptum divinum objecit, coarguit eum legi divinæ contraria suasisse, ita « traduxit eum quis esset » nempe

[1] Τὴν ἔχθραν ταύτην ὁ Κύριος εἰς ἑαυτὸν ἀνεκεφαλαιώσατο. IV, 40, 3. «Omnia ergo recapitulans recapitulatus est, et adversus inimicum nostrum bellum provocans et elidens eum, qui in initio in Adam captivos duxerat nos.» V, 21, 1.

[2] «Quæ fuit in paradiso repletio hominis per duplicem gustationem, dissoluta est per eam quæ fuit in hoc mundo indigentiam. V, 21, 2.

[3] «Elatio sensus quæ fuit in serpente, dissoluta est per eam quæ fuit in homine humilitas.» Ibid.

[4] «Soluta est ea quæ fuerat in Adam præcepti Dei prævaricatio, per præceptum Legis quod servavit Filius hominis, non transgrediens præceptum Dei.» Ibid.

transgressorem legis et angelum apostatam, malitiam ejus patefecit, mendacium et fraudem detexit[1], decretumque damnationis ei significavit quod jamdiu propter abscessionem ejus Deus in eum fecerat, quamvis ipse diabolus usque Christi adventum id ignorasset[2]. Sic per Jesum res totidem mutatæ sunt: homo qui propter legis transgressionem subactus erat, legis servator factus, jugum excussit; Satanas autem qui devicerat hominem «legaliter explosus,» «legitime victus est,» apostasia a Deo convictus, depulsus ab usurpata potestate, meritoque supplicio traditus est. Nam sententiam quam Christus in persona hominis ei denuntiaverat, postea ut Deus etiam persecutus est, hominesque ita jure et re a diaboli auctoritate liberavit[3].

[1] «Propter hoc non aliunde eum destruxit, nisi ex dictionibus legis, et Patris præcepto adjutore usus ad destructionem et traductionem apostatæ Angeli... Diabolus traductus est, contrario præcepto Dei suadens, et secundum sententiam suam Dei hostis ostensus... Dominus itaque traducens eum quis esset: Vade, inquit, Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis et illi soli servies (Matth. IV, 10), denudans eum per hoc nomen et se ostendens qui erat. Satana enim verbum Hebraïcum *apostatam* significat.» Ibid.

[2] V, 26, 2. Cfr. similem Justini doctrinam apud Eus., IV, 28.

[3] «Victus est a Filio hominis servante Dei præceptum. Quoniam enim in initio homini suasit transgredi præceptum factoris, ideo eum habuit in sua potestate; potestas autem ejus est transgressio et apostasia, et his colligavit hominem; per hominem ipsum iterum oportebat victum eum contrario colligari iisdem vinculis, quibus alligavit hominem, ut homo solutus revertatur ad suum Dominum, illi vincula relinquens, per quem ipse fuerat alligatus, id est, transgressionem. Illius enim colligatio solutio facta est hominis, quoniam «non potest aliquis etc. (Matth. XII, 29)... Contraria [Gr. St. ἐναντία = ἐναντίως. Mas. l. *contrario*] ergo in sermone ejus qui omnia fecit Dei, traducens eum Dominus et subjiciens per præceptum (præceptum autem Dei lex) fugitivum eum homo ejus [h. e. Dei] et legis transgressorem et apostatam Dei ostendens, postea jam Verbum constanter eum colligavit, quasi suum fugitivum, et diripuit ejus vasa, id est, eos qui ab eo de-

Hæc est, ut benevolens lector ex ipsis infra allatis autoris verbis judicabit, genuina Irenæi de debellatione diaboli opinio. Ex ipsis Irenæi verbis elucescit sententia ejus, hancque satis claram et idoneam esse quis negaret? Qua igitur ratione doctissimus Baur alias opiniones, quæ posteriore modo tempore a Patribus propositæ sunt, apud Irenæum autem nondum reperiuntur, ad verborum Irenæi explicationem, ut credit, adducit? Quo jure talem de certamine Christi cum diabolo ei affingit notitiam, quæ totius operis ejus argumento prorsus reluctatur?[1] Nam manifeste, ut vidimus, docet, Christi pietate Satanam superatum esse; sæpe repetit hunc nullum in hominem jus coram Deo habuisse quod exsolvi debuisset; deinde disertis verbis affirmat «non dolose sed juste diabolum victum esse[2];» ac si credidisset dolo et fallacia diabolum jure suo in homines frustratum esse, qua fronte Valentinianos vituperasset de decepto Demiurgo somniantes? — Unum tantummodo verbum, tali perversioni doctrinæ clarissimi Patris ansam dedisse videtur. Initio enim quinti libri op-

tinebantur homines, quibus ipse injuste utebatur. Et captivus quidem ductus est juste is, qui hominem injuste captivum duxerat; qui autem ante captivus ductus fuerat homo, extractus est a possessoris potestate...» V, 21, 3.

[1] «Es scheint(!) die Voraussetzung einer Täuschung kaum umgangen werden zu können... War es, wie Ir. ohne Zweifel annahm (?), der Teufel, welcher den Tod Christi bewirkte, so kann er ihn nur in der Absicht bewirkt haben um Jesum, wie die übrigen Menschen, in seine Gewalt zu bringen. Aber eben darin täuschte er sich, da er über den Unsündlichen, vollkommenen Gerechten keine Gewalt haben konnte. So erhielt Jesu dadurch nur das Recht, als der Stärkere in das Reich des Teufels einzudringen, und seiner Herrschaft ein Ende zu machen» etc. *Lehre von der Versöhnung*, p. 34 sqq.

[2] «Non aliena in dolo diripiens, sed sua propria juste et benigne assumens.» V, 2, 1.

ponitur Deus diabolo, observaturque hunc homines injuste et violenter a Deo alienavisse, illum autem eosdem « secundum suadelam » redemisse[1].» Hæc nonnulli, ut Bauri argumentationem evertant, de persuasione hominum intelligi jubent[2]. Haud tamen recte quum totius capitis argumentum non quomodo hominibus salus applicetur, sed quomodo a Deo salus instituta sit. Non igitur negari potest hic de persuasione diaboli sermonem esse. Quænam autem fuit hæc suadela? Num ea qua cohortatus est Deus diabolum ut animam Christi in pretium redemptionis ceterorum hominum acciperet? Nullo argumento talis suspicio confirmatur. Nam quum infra Irenæus dicit Christum animam suam pro nostris animabus, carnem suam pro nostris carnibus dedisse[3], non additeum diabolo vitam suam tradidisse. Interpretatio quæ sola nobis cum Irenæi sententia congruere videtur hæc est: Deus, ait, tali ratione homines redemit ut ipse diabolus injustitiæ suæ innocentiæque hominum coargueretur, neque diutius

[1] « Verbum potens et homo verus, sanguine suo rationabiliter redimens nos, redemptionem semet ipsum dedit pro his qui in captivitatem ducti sunt. Et quoniam injuste dominabatur nobis apostasia et cum natura essemus Dei omnipotentis, alienavit nos contra naturam, suos proprios faciens discipulos; potens in omnibus Dei Verbum et non deficiens in sua justitia, juste etiam adversus ipsam conversus est apostasiam, ea quæ sunt sua redimens ab ea: non cum vi, quemadmodum illa initio dominabatur nostri, ea, quæ non erant sua, insatiabiliter rapiens, *sed secundum suadelam*, quemadmodum decebat Deum suadentem, et non vim inferentem, accipere quæ vellet, ut neque quod est justum confringeretur, neque antiqua plasmatio Dei deperiret.» V, 1, 1.

[2] Sic Dunker., op. cit. 235 sqq. Dorner, op. cit., Kling (ap. Herzog, *Realencyclopædie*) etc.

[3] Τῷ ἰδίῳ οὖν αἵματι λυτρωσαμένου ἡμᾶς τοῦ κυρίου, καὶ δόντος τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ὑμετέρων ψυχῶν, καὶ τὴν σάρκα τὴν ἑαυτοῦ ἀντι τῶν ἡμετέρων σαρκῶν... V, 1, 1.

juris cujusdam simulatione homines sibi vindicaret, sed fateri cogeretur eos jure redemptos esse; quod tunc factum est quum diabolus in Christi persona hominem suæ auctoritati se subtraxisse vidit et ex Christi ore defectionem suam Deum non latere comperit.

Tribus igitur momentis constat victoria Christi super diabolum: *a*) Obedientia sua erga legem, per totam vitam præsertim autem in tentatione manifestata, injustam auctoritatem quam is propter peccatum in homines exercebat, fregit. — *b*) Defectionem ejus patefecit, divinam ei pœnam indicens; quod utrumque per humanam suam naturam fecit. — *c*) Denique decretum damnationis ipse exsecutus est; hoc vero divinitati ejus debemus.

2) Homines non solis seductoris incitamentis, sed propriæ naturæ libidinibus in omnia flagitia pelluntur. Ut igitur eos ab hoc etiam malo redimeret, Dominus Noster assumptam naturam per omnes ætates duxit, omnia vitæ tempora percurrit, omnes hominis conditiones subiit, et quum in toto vitæ curriculo divinæ legi se conformavit omniaque humana quæ assumpserat usque ad finem ab omni peccati contagione pura servavit, humanam naturam in sua persona sanctificavit, ad pristinam integritatem reduxit, restauratamque per Spiritum sanctum nunc omnibus suis infundit. Hanc provinciam D. N. Irenæus, ubi hæreticis objicit Christum non in suo tricesimo anno sed pene quinquagenarium mortuum esse, his verbis describit: « Per omnem venit ætatem et infantibus infans factus, sanctificans infantes; in parvulis parvulus sanctificans hanc ipsam habentes ætatem, simul et exemplum illis pietatis effectus et justitiæ et subjectionis; in juvenibus

juvenis, exemplum juvenibus fiens et sanctificans Domino; sic et senior in senioribus, ut sit perfectus magister in omnibus, non solum secundum expositionem veritatis, sed et secundum ætatem, sanctificans simul et seniores, exemplum ipsis quoque fiens[1].» Ideo D. N. omnem disciplinam hominibus a Deo constitutam absolvit[2], ut fieret quasi compendium generis humani ad imaginem et similitudinem Dei restaurati, in quo omnibus hominibus cujusvis ætatis, gentis, temporis, prima naturæ integritas offerretur, non tantummodo ut spectaretur, sed ut acciperetur, hominesque per eam ad novam vitæ formam regenerarentur[3]. Nam Christi vita quam moriens in cruce effudit in illos derivatur qui fide eum amplectuntur, nec tam doctrinæ et exempli ejus quam communionis beneficio salvantur[4]. Ipsius D. N. persona «novitas est quam hominibus attulit,» fons ex quo omnia bona redundant[5]. Hinc hominibus Spiritus impertitur[6], quo ex arido ligno fructiferæ ar-

[1] II, 22, 4.

[2] Πᾶσαν τὴν κατὰ ἄνθρωπον οἰκονομίαν ἐκπληρώσας. III, 17, 4. Cfr Philosophoumena, X, 33 in fine.

[3] «Homo factus longam hominum expositionem in seipso recapitulavit, in compendio nobis præstans salutem, ut quod perdideramus in Adam, i. e. secundum imaginem et similitudinem Dei esse, hoc in Christo Jesu reciperemus.» III, 18, 1. «Per omnem venit ætatem, omnibus restituens eam quæ est ad Deum communionem.» Ibid., 7.

[4] «Nos indigemus ejus, quæ est ad eum communionis et propterea benigne effudit semetipsum ut nos colligeret in sinum patris.» V, 2, 1.

[5] «Quid igitur Dominus attulit veniens? cognoscite quoniam omnem novitatem attulit, semetipsum afferens qui fuerat annuntiatus. Hoc enim ipsum prædicabatur, quoniam novitas veniet, innovatura et vivificatura hominem... Non jam requiritur quid novi attulit Rex, super eos qui annuntiaverunt adventum ejus... Semetipsum enim attulit et ea quæ prædicta sunt bona donavit hominibus.» IV, 34, 1.

[6] III, 9, 3. Δωρὰν τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰς πᾶσαν ἐξέπεμψε τὴν γῆν. III, 11, 8.

bores fiunt[1] et ad primam humanæ naturæ nobilitatem revertunt[2].

Ita D. N. omnis peccati contaminationem a vita sua excludens, «peccatum damnavit in sua carne et damnatum projecit extra carnem;» non autem e sua natura modo hoc vitium depulit, sed etiam ex omnium in se credentium natura, ut et hi virtute sua purificarentur a peccati libidinibus[3]. Ideo Dominus liberator noster est, redimens nos a peccati dominatu[4]. Præterea nos a Lege redemit; nam prima Lex servis data erat, externa opera externarum rerum promissione vel externarum pœnarum minis eliciens; Christus autem novam condidit Legem, talem nempe quam liberis proponere decet; servilia, infirma, temporalia in lege mosaïca abrogavit, vera et æterna servavit, quæ omissa erant explevit, ad primam severitatem omnia reduxit, talemque legis reverentiam homines docuit quæ non modo pravas actiones sed etiam cogitationes reformidat[5]. Idem gratia sua hominum corda ita disponit

[1] III, 17, 2.

[2] «Necessarius nobis est ros Dei, ut non comburamur neque infructuosi efficiamur... (Dedit D. duo denaria homini qui inter latrones inciderat) ut per Spiritum imaginem et inscriptionem Patris et Filii accipientes, fructificemus creditum nobis denarium, multiplicatum Domino annumerantes.» III, 17, 3.

[3] III, 20, 2; 18, 7.

[4] «Nobis in novitate restituit libertatem.» IV, 9, 1.

[5] «Quæ naturalia et liberalia et communia omnium (in lege mosaïca), auxit et dilatavit, sine invidia largiter donans hominibus per adoptionem, Patrem scire Deum, et diligere eum ex toto corde et sine adversatione sequi ejus Verbum, non tantum abstinentes a malis operationibus, sed etiam a concupiscentiis earum.» IV, 16, 5. — «Lex quippe servis posita, per ea quæ foris erant corporalia animam erudiebat, velut per vinculum attrahens eam ad obedientiam præceptorum, uti disceret homo servire Deo : Verbum autem liberans animam et per ipsam corpus voluntarie emundari docuit.» 13, 2 sqq.

ut divinam voluntatem sponte, animo libenti et proclivo, impleant; semperque suis adjumento est contra peccati impetus, nam summum ejus beneficium est assidua ejus in Ecclesia præsentia[1].

Hac ratione D. N. genus humanum instauravit[2], renovavit in homine imaginem Dei a primo homine amissam[3], genus humanum ad primam sanctitatem vitæ et morum restituit, primum in sua persona, deinde in omnibus qui ipsi fidem habent.

3) Prædicta beneficia, redemptio scilicet a diaboli potestate et renovatio hominis, posterioribus temporibus ad tantam in institutione christiana evaserunt dignitatem, ut tertium Salvatoris meritum quod ab Irenæo commemoratum vidimus, venia peccatorum seu peccatoris justificatio, plus quam decebat, negligeretur. Sic ex. gr. Augustinus vocem «justificatio» non de condonatione debitorum qua justi pronuntiamur, sed, ut omnibus notum est, de renovatione vitæ qua justi fimus, intelligebat, Pelagianosque vituperabat qui tamen hac in re S. Scripturis consentanea docebant. Jam apud Augustinum nefastæ doctrinæ initia reperimus, homines Dei gratia regeneratos, Dei gratia adjutos, suis operibus vitam æternam mereri. Quantum vero aberat Noster ab hac perversione doctrinæ apostolicæ! Nam interrogatus quomodo homo Deo reconciliaretur, minime obscuris verbis respondet : omnes qui hoc in tempore ubi nomen Salvatoris mundo nuntiatur, ei credunt, inde Deo gratos et acceptos fieri[4]; homines

[1] «Plus quam Jonas donat hominibus, id est, suam præsentiam.» IV, 9, 2.
[2] IV, 24, 1.
[3] V, 2, 1; 12, 4. «In eo quod dicit (Col. III, 10): «Secundum imaginem conditoris» recapitulationem manifestavit ejus hominis, qui in initio secundum imaginem factus est Dei.» — [4] II, 22, 2.

per fidem filios Dei esse[1] « vel fiducia quam in Deum altissimum habent eos justificari[2]. » Non nostrorum meritorum gratia in amicitiam Dei assumimur, hoc Redemptoris opus et meritum est, qui, quum propter peccatum iratum Deum haberet homo, et quum justitia divina Deum ab omni cum impuro prohiberet societate, utriusque Mediator factus, utrumque conjunxit[3], et in amicitiam ambos recomposuit, summique Sacerdotis munere functus, « Deum pro hominibus propitiavit[4]. » Quomodo autem placandus sit Deus, e ratione sequebatur qua nobis irascebatur. Propter rebellionem ab hominibus aversus erat; venit itaque alter Adam, implevit Legem, in toto vitæ cursu usque ad mortem se voluntati Dei subjecit, minima non negligens, difficillima non ægre ferens, atque ita obedientia sua Deum, propter inobedientiam nostram ira commotum, placavit, debitum nostrum transgressione contractum persolvit obsequio suo, et perseverantia sua in bono infidelitatem Adami sanavit[5]. Ad instar primi Adami, omnes generationes hominum in se repræsen-

[1] IV, 9, 1.

[2] IV, 5, 5.

[3] Ἥνωσεν τὸν ἄνθρωπον τῷ Θεῷ... Ἔδει τὸν μεσίτην Θεοῦ τε καὶ ἀνθρώπων, διὰ τῆς ἰδίας πρὸς ἑκάτερους οἰκειότητος, εἰς φιλίαν καὶ ὁμόνοιαν τοὺς ἀμφοτέρους συναγαγεῖν, και Θεῷ μεν παραστῆσαι τὸν ἄνθρωπον, ἀνθρώποις δὲ γνωρίσαι τὸν Θεόν. [Pro καὶ Θεῷ — Θεὸν apud V. I. legitur : « facere ut et Deus assumeret hominem et homo se dederet Deo. » Cum Editt. græcum textum probamus.] « Qua enim ratione filiorum adoptionis ejus participes esse possemus, nisi per Filium eam quæ est ad ipsum recepissemus ab eo communionem, nisi Verbum ejus communicasset nobis, caro factum. III, 18, 7. Hominem qui extra Deum abierat adscripsit Deo. » III, 10, 2.

[4] IV, 8, 2.

[5] « Per obedientiam inobedientiam persolvit. » III, 18, 6. Ὥσπερ γὰρ διὰ τῆς παρακοῆς τοῦ ἑνὸς ἀνθρώπου, τοῦ πρώτως ἐκ γῆς ἀνεργάστου πεπλασμένου, ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν οἱ πολλοί καὶ ἀπέβαλον τὴν

tavit [1], atque ita omnes in amicitiam Dei reduxit. Nulla igitur alia re homines justi reputantur, quam propter obedientiam quam D. N. vivens et moriens Deo præstitit. Quoniam ei similes sumus, h. e. communem cum eo naturam habemus, communia sunt etiam merita quæ is naturæ suæ virtutibus suis acquisivit, eodemque modo quo nobis ex primo Adamo natis hujus transgressio imputata est, tanquam ipsi Deum offendissemus, ita nobis ex altero Adamo regeneratis ejus justitia imputatur, quasi ipsi eam usque ad mortem Deo obedientes præstitissemus. Justus fuit homo Jesus, ergo nos omnes, sanguinis vinculis ei consociati, coram Deo justi sumus; si autem justi sumus, peccata utique remissa sunt, Christi contecta sanctitate [2]. Quemadmodum primum et alterum Adamum inter se confert,

ζωήν, οὕτως ἔδει καὶ δι᾽ ὑπακοῆς ἑνος ἀνθρώπου, τοῦ πρώτως ἐκ παρθένου γέγεννημένου δικαιωθῆναι πολλοὺς και ἀπολαβεῖν τὴν σωτηρίαν. Ibid., 7. Cfr. III, 21, 10.

[1] III, 22, 3.

[2] «Quod fuit, qui perierat, homo, hoc salutare factum est Verbum; per semetipsum eam quæ esset ad eum (Deum) communionem et exquisitionem salutis ejus efficiens... Illam principalem Patris plasmationem in se recapitulans, exquirens id quod perierat... Justa caro reconciliavit eam carnem, quæ in peccato detinebatur et in amicitiam adduxit Deo... Per eam quæ est ad se communicationem, reconciliavit Dominus hominem Deo Patri.» V, 14, 2. 3. — «Eam quæ in ligno facta fuerat inobedientiam, per eam quæ in ligno fuerat obedientiam sanavit. — Ἐν τῷ πρωτῷ Ἀδὰμ προσεκόψαμεν [offendimus scil. Deum] μη ποιήσαντες αὐτοῦ τὴν ἐντολήν, ἐν τῷ δευτέρῳ Ἀδὰμ ἀποκατηλλάγημεν ὑπήκοοι μέχρι θανάτου γενόμενοι. V, 16, 3. — «Per amicitiam restituit nos Dominus, per suam incarnationem mediator Dei et hominum factus, propitians quidem pro nobis Patrem in quem peccaveramus et nostram obedientiam per suam obedientiam consolatus.» V, 17, 1. — «Quemadmodum per lignum facti sumus debitores Dei, per lignum accipimus nostri debiti remissionem.» Ibid., III etc. — «Verbum ostensum est quando homo Verbum Dei factum est, semetipsum homini, et hominem sibimetipsi assimilans, ut per eam quæ est ad Filium similitudinem pretiosus homo fiat Patri.» V, 16, 2. Cfr. V, 19, 1 etc.

ita etiam Virginem Mariam Virgini Evæ opponit, alterius inobedientiæ quæ totum genus mortis vinculis colligavit, alterius obedientiam quæ hunc nodum solvit et sic mortis compedibus obstrictos ipsamque Evam liberavit[1]. Manifestum est hanc comparationem non ita accipiendam esse ac si Virgini Mariæ hominum redemptio adscriberetur. Nam quomodo unica Evæ culpa hoc fuit quod conjugem corrupit, ita nullum aliud meritum in Maria laudatur, nullaque alia ratione causa salutis nostræ fuit, quam quod Christum parere promeruit. Attulimus autem hæc ut inde conspiciatur quam longe aberat Irenæus ut soli morti D. N. propitiationis beneficium tribueret. Obedientia quam a prima vitæ hora usque ad ultimam præstitit, non exclusa Matris obedientia qua angelicæ promissioni assensit, causa salutis fuit. Nam quum genus humanum in altero Adamo se voluntati Dei subjecisset, sublata erat prima insubordinatio, deleta causa reprehensionis, aversa Dei ira, omne malum reparatum et homines in primam cum Deo amicitiam restituti. Quid autem amplius ad immunitatem nostram desiderabatur?

Sed quæritur, quid secundum Irenæum ad salutem valeat D. N. violenta mors. Consuetudinem Apostolorum secutus, sæpius huic soli Redemptionem attribuit. Ita, ut alios locos omittam, in secundo libro comparationem

[1] III, 22, 4. — « Quemadmodum adstrictum est morti genus humanum per Virginem, salvatur per Virginem: æqua lance disposita, virginalis inobedientia, per virginalem obedientiam. Adhuc enim protoplasti peccatum per correptionem primogeniti emendationem accipiens, et serpentis prudentia devicta in columbæ simplicitate, vinculis illis resolutis, per quæ alligati eramus [sic Codd. Editt. Augustinus vero, qui contra Julianum hanc periodum allegat, scripsit: Protoplasti peccato — emendationem accipiente, — vinculis illis resoluti sumus]. » V, 19, 1.

instituit inter passionem Sophiæ, de qua Gnostici tam multa confabulabantur et passionem sanctissimam D.N. Illa omnem genuit corruptionem; hanc vero commendat quod « ad Deum nos errantes a Patre reduxit, mortem delevit et solvit errorem corruptionemque exterminavit et ignorantiam sustulit, vitam autem manifestavit et ostendit veritatem et incorruptionem donavit[1]. » Ex hoc loco, præsertim ex enumeratione beneficiorum quæ ex passione D. N. nobis orta sunt, satis apparet ex Irenæi quidem sententia mortem Redemptoris nullam singularem, a ceteris actionibus vitæ ejus prorsus distinctam vim ad salutem hominum habuisse. Per totam potius vitam suam, ut ex notione Recapitulationis didicimus, Redemptionem nostram operatus est, diabolo resistendo, vitam humanam sanctificando, voluntati Patris satisfaciendo; quum autem mala, quæ in cruce sustinuit, eminentissima vitæ ejus pars fuerunt (ubi enim clarius effulserunt ejus virtutes? ubi magis Patri submissus fuit? ubi violentiores diaboli impetus repulit?), ea singulatim laudare et ut vitæ ejus cacumen, operisque quasi summam præ ceteris extollere videtur. Quum, ut nos redimeret, violenta morte perire debebat (hoc enim supremum obsequii documentum Pater poscebat), jure dici potest eum sanguine suo nos redemisse, vel carnem suam pro nostra carne, animam suam pro nostris animabus peccato obstrictis in mortem dedisse[2]. Porro per crucis portam in cœlum evectus est, quo nunc, non jam ut antea uni loco astrictus, sed spiritualiter omnibus propinquus, dona sua, Spiritum, veritatis doctrinam ipsam denique carnem

[1] II, 20, 3; IV, 5, 5; IV, 28, 3.
[2] Cfr. p. 21, not. 3.

suam salutiferam, hominibus distribuit. Ad hunc fructum mortis alludit Irenæus quum in loco supra citato his verbis Christum Sophiæ opponit : « Istius (Christi) autem passio fructificavit fortitudinem et virtutem; ascendens enim in altitudinem, Dominus per passionem captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus et contulit credentibus in se super serpentes et scorpiones calcare et super omnem virtutem inimici, i. e. principis apostasiæ. » (Cfr. Eph. IV, 8; Luc. X, 19). — Omnia ergo hic morti adscribuntur, quandoquidem nisi per mortem in cœlestes regiones elatus esset, non beneficium vitæ suæ homines participes facere potuisset. Huc referendum videtur quod alio loco dicit : « Propter hoc Christum mortuum esse, uti Testamentum Evangelii apertum et universo mundo lectum, primum quidem liberos faceret servos suos, post deinde hæredes constitueret eorum quæ essent ejus [1]... » ubi verba ad Hebr. IX, 15 sqq. attingens, docet nos mortis Christi gratia a Lege liberos, vitæque hæredes esse, eadem ratione qua inter homines testamentum, nonnisi testatore decesso effectum habet : nam nisi mortuus esset, non Spiritum suum largitus esset, per quem omnia ejus bona nostra fiunt. Non aliter interpretandus est locus ubi Sacerdoti comparatur Dominus, atque alius is ubi de effusione sanguinis ejus dicitur quorum utrumque jam laudavimus [2].

4) Superest ultima pars Redemptionis, ut indagemus viam qua homo per Christum etiam morte liberatus sit. Sane, devicto inimico effractus et disjectus est

[1] V, 9, 4.

[2] IV, 8, 2; V, 2, 1. Cfr. ad utrumque Dunker, p. 246 sqq.

carcer mortis in quem is homines injecerat[1]. Quum autem etiam sine peccati fato ob ipsam imbecillitatem naturæ suæ homo morti obnoxius esset, beneficium immortalitatis melius ad alteram provinciam operis D. N. refertur. Ad hanc igitur transeamus.

B. *De opere Consummationis.*

1) In persona Domini Nostri naturam humanam non solum ad primam revocatam sanctitatem, sed etiam nunc primum ad plenitudinem perfectionis prædestinatæque excellentiæ elatam admiramur. In eo omnibus numeris absoluta est creatio hominis; in eo primo effulsit vera Dei imago et similitudo. Non fuit ante eum homo verus et perfectus, imo potius hoc consilio Adam factus est, ut in Christo ad veritatem suæ naturæ perveniret[2], quamobrem etiam Domini Nostri, veri hominis, typus et præformatio vocatur[3]. Nam in hoc primo

[1] «Per secundum hominem alligavit fortem, et diripuit ejus vasa et evacuavit mortem, vivificans eum hominem, qui fuerat mortificatus... (Inimicus) juste a Deo recaptivatus, qui hominem captivum duxerat; solutus est autem condemnationis vinculis qui captivus ductus fuerat homo.» III, 23, 1. — In fragm. XXVIII (St., p. 842), Christus ligno comparatur per quem Elisa propheta ferrum supernatare fecit (2 Reg. VI, 6) et additur: Τοῦ Θεοῦ λόγου ἑνώσει, τῇ καθ' ὑπόστασιν φυσικῇ, ἑνωθέντος τῇ σαρκί, το βαρὺ καὶ γεῶδες ὑπὸ τῆς θείας φύσεως εἰς οὐρανοὺς ἀνελήφθη μετὰ τὴν ἀνάστασιν ἀφθαρτισθέν.

[2] «Non effugit aliquando Adam manus Dei [h. e. Verbum et Sp. S.] ad quas Pater loquens dicit: Gen. I, 26. Et propter hoc in fine, non ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, sed ex placito Patris, manus ejus vivum perfecerunt hominem, uti fiat Adam secundum imaginem et similitudinem Dei.» V, 1, 3.

[3] «Unde et a Paulo typus futuri dictus est ipse Adam, quoniam futuram circa Filium Dei humani generis dispositionem in semetipsum fabricator omnium præformaverat, præformante Deo primum animalem hominem, videlicet ut a spirituali salvaretur. Cum enim præexisteret salvans, oportebat et quod salvaretur fieri, uti non vacuum sit salvans.» III, 22, 3. Cfr. IV, 38, 4; V, 16, 2.

homine Spiritus humanam animam totam implebat, humano corpori perfecte moderabatur, unde spiritualis vocatur, animali homini prorsus oppositus. In hoc primo utraque hominis et Dei natura in unum coactæ et conjunctæ sunt.

Persæpe Irenæus divinitatem D. N. non obscuris verbis profitetur hancque non minus quam ejus humanam naturam laudat. Verbum eum vocat, consuetudini Ecclesiæ sese accommodans, quæ inde a Justino M. hac formula Christi sublimiorem naturam designare solebat; nullibi tamen apud eum speculationes simplicem S. Scr. doctrinam non minus quam mentis nostræ aciem excedentes, de essentia Dei, de sacramento trinitatis, de Filii generatione etc. reperis; imo præmonet nos ut ab his investigationibus, Gnosticorum retibus, caveamus, præsertim ne illa formula abusi, in temerarias et falsas quasdam de natura Filii conjecturas incidamus. Verbum non pars aliqua Dei est, nam Deus quem christiani colunt non Deus compositus est, ut pleroma Gnosticorum, qui aliud Patrem, aliud Mentem, aliud Vitam, aliud Verbum ejus arbitrarie statuebant; non distinguendum est Verbum a Deo ut apud homines is qui dicit et id quod dicitur, quum tempore distant tum re differunt. Ob infirmitatem enim et tarditatem naturæ nobis contingit ut primum aliquid mente concipiamus, tunc demum novo labore lingua exprimamus: « Deus autem totus existens mens et totus existens Logos, quod cogitat hoc et loquitur et quod loquitur, hoc et cogitat[1]. » Nihil igitur hujus vocis potestas ad indagandam Supremi Dei naturam valet, quæ omnino hominis intellectum fugit. Sufficiat simpliciter

[1] II, 28, 4. 5. Cfr. II, 13, 8.

cum S. Scr. profiteri, Filium non creatum, sed a Patre prolatum, sive generatum esse (quanquam modus et ratio ejus originis inenarrabilia Dei mysteria sint[1]); eum semper cum Spiritu Sancto sive Sapientia Dei (Prov. III, 19 sqq.; VIII, 22 sqq.) Patre coexstitisse, cum quo etiam ad mundi formationem operam contulerit[2]; eumque, propter illam originem et hanc majestatem, non minus quam Pater, Dei nomine honorandum esse[3].

Hic itaque Logos sive Filius Dei Unigenitus in humanæ conditionis ac imbecillitatis consortium venit[4], integram hominis naturam induit, omnia humana pertulit. Quam reprobandi sunt igitur Gnostici qui incarnatum divellere ausi sunt, docentes ad tempus modo Verbum in hominem Jesum descendisse, se transitorie in eo manifestavisse et ante fatum rursus ab eo discessisse[5]! Per totam vitam Verbum homini adfuit, homo Verbum ferebat, ita ut sine offensione veritatis de Virgine dici possit, eam ipsum Deum in utero gessisse[6].

Quomodo autem talis duorum naturarum copulatio fieri potuit? Nunquam, ut videtur, Irenæus hac in enucleanda quæstione, quæ usque ad nostra tempora theologorum mentes occupat scholasque dividit, operam

1 «Prolationem istam, sive generationem ejus, sive nuncupationem, sive adapertionem, aut quolibet quis nomine vocaverit generationem inenarrabilem existentem [Is. LIII, 8], nemo novit; non Valentinus, non Marcion, neque Saturninus, neque Basilides, neque Angeli, neque Archangeli, neque principes [Gr. principatus], neque potestates, nisi solus qui generavit Pater et qui natus est Filius.» II, 28, 6.

2 II, 25, 3; II, 30, 9; III, 18, 1; IV, 7, 4; IV, 20, 3; IV, 14, 1 etc.

3 III, 8, 3; III, 6, 1. 2; II, 13, 8 etc.

4 III, 18, 1.

5 III, 9, 3. — 17, 4; 18, 1 sqq.

6 .. «Sua propria eum bajulante [Gr. bajulantem] conditione quæ bajulatur ab ipso...» «Hæc (Maria) per angelicum sermonem evangelizata est ut portaret Deum.» V, 19, 1.

collocavit. Tamen semel obiter rem attingit, observationemque magni momenti facit, quam liceat hic paulo prolixius commemorare. Quum pariter abesset Noster ab errore Docetistarum qui humanæ naturæ D. N. veritatem negabant, et ab hæresi Ebionitarum qui divinam abnuebant, quum deinde non eum fugeret divinam substantiam non circumscribi posse corpore mortali nec affici doloribus et passionibus humanis, nisi transformata, desinensque jam divina esse ex immutabili mutabilis, ex infinita finita, ex æterna temporalis facta sit, quam vero evacuationem sive inanitionem Verbi nunquam Irenæus concessisset, supererat ut quodammodo separaret ambas naturas Verbi servili in conditione versantis, cuique propriam assignans provinciam, et distingueret inter res ad Christum pertinentes, alia Verbo adscribens, alia homini. Hoc facit Irenæus quum docet Verbum in tentatione et inter crucis labores « requievisse[1], » h. e. hominem solum ea quæ sane in Verbum cadere non poterant subiisse, talibusque in occasionibus humanam naturam, non quidem a Verbo desertam, attamen sui juris factam sibique ipsi permissam fuisse. Quid obstat quominus inde concludamus juxta Nostri sententiam Verbum non plene et perfecte

[1] Ὥσπερ γάρ ἦν ἄνθρωπος, ἵνα πειρασθῇ, οὕτως καὶ λόγος ἵνα δοξασθῇ· ἡσυχάζοντος μέν τοῦ λόγου ἐν τῷ πειράζεσθαι καὶ σταυροῦσθαι, καὶ ἀποθνήσκειν· συγγινομένου δέ τῷ ἀνθρωπῷ ἐν τῷ νικᾶν, καὶ ὑπομένειν, καὶ χρηστεύεσθαι, καὶ ἀνίστασθαι καὶ ἀναλαμβάνεσθαι. [V. Int. « Sicut enim homo erat ut tentaretur, sic et Verbum ut glorificaretur : requiescente quidem Verbo, ut posset tentari et inhonorari et crucifigi et mori; absorpto autem homine in eo quod vincit et sustinet et resurgit et assumittur.] » III, 19, 3. Græcum textum Theodoretus nobis servavit, Dial III. V. I. vero aliam lectionem secutus est. Uter genuinam Irenæi sententiam habeat, quis dijudicabit? — Cfr. quid de somno Verbi scripsit Clem. Alex. Strom., V, 14.

homini unitum fuisse quamdiu Christus in statu humilitatis degeret, sed tandem post ejus exaltationem, deposito servi habitu, sublatis terrestris conditionis limitibus, duas substantias ita conjunctas et copulatas esse ut nunc omnia humana etiam divina sint? Non enim ipsa humana natura abhorret a divina (nam illa formata est ut hanc capiat) tantummodo hæc prima vitæ nostræ forma.

Sed redeamus ad argumentum capitis. Qualescunque res fuerint in vita terrrestri D. N., habemus in Christo per ascensionem ad dextram Patris elato intimam et perfectissimam naturæ nostræ cum Deo conjunctionem [1]. Videamus quomodo nos omnes dignitatis hujus et felicitatis socios faciat.

2) Immensus et informis et absconditus Deus Verbi ministerio *formatus*, *mensuratus* [2] et apertus est, sive formam habet qua a creaturis percipi et comprehendi et sese in creaturas effundere potest. Verbum est principium explicationis divinæ naturæ, quo ex ignota et indefinita et incomprehensibili in certam, definitam et conspicuam figuram formatur, sive ipse Deus definitus et manifestus [3]. Itaque hoc est singulare munus quo Filius ab omni æternitate et in perpetuum fungitur, Patris, inquam, revelatio. Nemo enim Deum cognoscere potest, nisi ab ipso Deo hanc acceperit cognitionem, nec ulli eam tribuit Pater nisi per Filium qui solus Dei naturam comprehendit, quippe qui eam

[1] « Verbum Dei... habitavit in homine et Filius hominis factus est, ut assuesceret hominem percipere Deum et assuesceret Deum habitare in homine, secundum placitum Patris. » III, 20, 2.

[2] « Pater in Filio mensuratus, mensura Patris Filius. » IV, 4.

[3] « Invisibile Filii Pater, visibile autem Patris Filius. » IV, 6, 6. Cfr. III, 11, 5.

ut substantiam suam in se contineat. Primo Angelis Deum revelavit[1], deinde omnibus hominibus tenuia initia hujus cognitionis per mundi conditionem dedit. Semper adfuit generi humano[2] cum Patriarchis collocutus est, populo sancto leges sanxit, Prophetas inspiravit. Idem in fine temporum hominibus novo et miro modo consuluit, quum inter homines se hominem et sic Deum visibilem et sensibilem ostendit. Ita hominibus perfectam Dei revelationem in conspectum dedit, non solum in orationibus suis Patris virtutis enarrans, sed præcipue operibus suis totoque vitæ suæ spectaculo divinam sanctitatem, benevolentiam, potestatem ante oculos proponens et commendans[3]. Quam tamen cognitionem hi modo adipiscuntur qui, sive eum in hac terra degentem conspexerunt, sive nunc ejus Verbum audiunt, fiducia et dilectione ei adhærentes, discipuli ejus et virtutum imitatores fiunt[4].

Hujus autem cognitionis Dei ab ipso Filio nobis transmissæ fructus magni et pulchri sunt, omninoque talis Revelatoris Deique qui cognoscitur, dignitatem et

[1] II, 30, 9.

[2] IV, 28, 2; III, 18, 1.

[3] «Quoniam impossibile erat sine Deo discere Deum per Verbum suum docet homines scire Deum.» IV, 5, 1. — «Neque enim Patrem cognoscere quis potest, nisi Verbo Dei, i. e. nisi Filio revelante.» — «Filius revelat agnitionem Patris per suam manifestationem. Agnitio enim Patris est Filii manifestatio.» IV, 6, 3. — «Θεὸν εἰδέναι οὐδεις δύναται, μή οὐχὶ Θεοῦ δοξάζοντος [l. cum Interprete διδάξαντος], τουτέστιν, ἄνευ Θεοῦ μὴ γινώσκεσθαι τὸν Θεὸν... IV, 6, 4; 7, 3; 20, 6. «Per Filium itaque, qui est in Patre et habet in se Patrem, is qui est, manifestatus est Deus.» III, 6, 2. — «Non enim aliter nos discere poteramus quæ sunt Dei nisi magister noster, Verbum existens, homo factus fuisset.» V, 1, 1 etc.

[4] IV, 6, 5.

potestatem habent. Nam non minus quam qui lumen cernunt ipsi a lumine illustrantur, qui Deum cognoscunt ipsum percipiunt Deum; vel ut lumen videntis hominis oculum penetrat, ita Deus assumit et implet hominem qui eum in Verbo contemplari didicit. Hæc cognitio non scientia est, quæ solam curiositatem satiat, sed ipsius Dei communio[1]. Hominibus autem Deo conjunctis omnia quæ ad divinam vitam pertinent bona legitime infunduntur; inter quæ plurimum pollent beatitudo, qua homines omnibus hujus conditionis malis jam nunc eximuntur, et immortalitas animarum quam corporum incorruptelam sequi necesse est. Vera igitur vita a Filio in nos derivatur, tanto terrestri vita nobilior, quantum ipse Logos rebus creatis, quæ corpora nostra sustentant, excellit[2]. Omnia quæ veteres prophetæ de Dei cum hominibus futura conversatione vaticinabantur, ad effectum, spe et opinione multo grandiorem, adduxit; hominem, antea a Deo separatum, non ad tempus sed in perpetuum Deo consociavit[3];

[1] IV, 28, 2. — IV, 20, 5: Ὥσπερ οἱ βλέποντες τὸ φῶς ἐντός εἰσι τοῦ φωτὸς καὶ τῆς λαμπρότητος αὐτοῦ μετέχουσιν, οὕτως οἱ βλέποντες τὸν Θεὸν ἐντὸς εἰσι τοῦ Θεοῦ etc... Ἡ ὕπαρξις τῆς ζωῆς ἐκ τῆς τοῦ Θεοῦ περιγίνεται μετοχῆς· μετοχὴ δὲ Θεοῦ ἐστὶν τὸ γινώσκειν Θεόν.

[2] «Homines igitur videbunt Deum, ut vivant, per visionem immortales facti, et pertingentes usque in Deum.» IV. 20, 6. — «Si enim quæ est per conditionem ostensio Dei vitam præstat omnibus in terra viventibus, multo magis ea quæ est per Verbum manifestatio Patris, vitam præstat his qui vident Deum.» Ib., 7. — «Amicitia Dei immortalitatis est condonatrix» IV, 13, 4; IV, 24, 2; IV, 36, 7 (Denarium in parabola operarii acceperunt, ἔχον εἰκόνα καὶ ἐπιγραφὴν τοῦ βασιλέως, τὴν γνῶσιν τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἥτις ἦν ἀφθαρσία...) — V, 27, 2: Κοινωνία Θεοῦ ζωὴ καὶ φῶς καὶ ἀπόλαυσις τῶν παρ' αὐτοῦ ἀγαθῶν...

[3] «Homo in hominibus factus est, ut finem conjungeret principio, id est, hominem Deo... Prophetæ... prædicaverunt ejus secundum carnem adventum, per quem commixtio et communio Dei et hominis... facta est...» IV, 20, 4; 13, 1.

filius homo factus est ut homines, hanc infimam conditionem exuentes, Dei filii vel (juxta dictum Ps. LXXXII, 6 sqq.) ipsi Dii fiant[1]; naturam humanam assumpsit ut eam in divinam transfiguraret; corpus mortale induit ut immortalitate sua mortalitatem absorberet penitusque aboleret[2]; nostra suscepit ut sua nobis impertiretur[3]. Ita perfecit in suis discipulis imaginem et similitudinem Dei cujus initium seu semen in primum hominem depositum fuerat[4]. Per fidem autem quam in Verbum habent fit ut singuli homines non modo Deo sed etiam inter se fidei et caritatis copulis conjungantur et in unum corpus coalescant. Filius Dei e diversitate gentium Ecclesiam catholicam ædificat, multitudinem hominum in potestatem suam et ad unitatem inter se redigit, principatum quod semper in res et regiones invisibiles exercebat etiam super terram extendit quotidieque magis diffundit. Hanc colligationem generis humani cum Verbo, alteram partem operis D. N., Pauli Ap. exemplum secutus (Eph. I, 10), eodem designat nomine quod et Redemptioni dedit; *Recapitulationem* vocat; bene enim hoc verbum usurpatur quum res antea distinctæ et separatæ in summam rediguntur vel ad unitatem revocantur[5].

[1] Εἰς τοῦτο γάρ ὁ Λόγος ἄνθρωπος, ἵνα ὁ ἄνθρωπος τὸν λόγον χωρήσας, καὶ τὴν υἱοθεσίαν λαϐών, υἱὸς γένηται Θεοῦ. [Græcum textum a Theodoreto servatum sequimur, quum versionis verba quid valeant, non videmus.] III, 19, 1; III, 6, 1.

[2] III, 19, 1. — [3] III, 10, 2.

[4] «Quæ (manus Dei : Christus) ab initio usque in finem format nos, et coaptat in vitam et adest plasmati suo, et perficit illud secundum imaginem et similitudinem Dei...» V, 16, 1; 21, 2.

[5] «Hominem in semetipsum recapitulans est, invisibilis visibilis factus, et incomprehensibilis comprehensibilis, et impassibilis passibilis, et

3) Propter eamdem creaturæ insitam imbecillitatem, quæ initio obstabat quin homo perfectionem acceperit, etiam post adventum Redemptoris non licebat eum statim plenitudinem salutis ubertatemque permissæ gloriæ obtinere. Quum præterea semper augescere et incrementa capere homini proprium sit, nunquam profecto Verbum hominibus totum Deum aperit et communicat, sed partem semper divinæ naturæ, ut ita semper remaneat in Deo aliquid incogniti atque homo perpetuo progrediatur[1]. Eodem igitur consilio quo Vetere vigente Fœdere Verbum non nisi signis et figuris se manifestaverat, etiam in fine temporum non nudus Deus se hominibus obtulit, nam quomodo spectaculum talis magnificentiæ sustinerent? sed ut humanæ debilitati parceret, certumque Revelationis ordinem servaret, divinitatem suam temperavit, carnali velamine splendorem Unigeniti operuit, corpus humanum induit, hac enim sola forma ab hominibus capi poterat. Omnipotens Deus infirmus factus est, ne infirmos obcæcaret oculos; in lactem se commutavit cibus vitæ, h. e. in humanam formam descendit, ut hac parvulis congruente esca enutriti, convalescerent homines et inde capaces fierent ipsius apprehendendi Verbi[2].

Verbum homo, universa ei semetipsum recapitulans: uti sicut in supercœlestibus et spiritualibus et invisibilibus princeps est Verbum Dei, sic et in visibilibus et corporalibus principatum habeat, in semetipsum primatum assumens et apponens semetipsum caput Ecclesiæ, universa attrahat ad semetipsum apto in tempore. » III, 26, 6; cfr. IV, 26, 2.

[1] « Invisibilitatem Patris custodiens, ne quando homo fieret contemptor Dei et ut semper haberet ad quod proficeret... » IV, 20, 7.

[2] Διὰ τοῦτο καὶ ὁ K. ἡμῶν ἐπ' ἐσχάτων τῶν καιρῶν, ἀνακεφαλαιωσάμενος εἰς αὐτόν τὰ πάντα, ἦλθε πρὸς ἡμᾶς, οὐχ ὡς αὐτὸς ἠδύνατο, ἀλλ' ὡς ἡμεῖς αὐτόν ἰδεῖν ἠδυνάμεθα. Αὐτὸς μὲν γάρ ἐν τῇ ἀφθάρτῳ αὐ-

Certi itaque gradus[1] sunt quibus homines in Christi Regnum admissi, erudiuntur et exercentur ut in plenam possessionem divinæ vitæ perveniant. Tres formæ sunt, apud Iræneum satis manifeste distinctæ, sub quibus Deus se hominibus communicat, singulæque manifestationes singulis temporum spatiis circumscribuntur.

a) Primum conjunguntur humana et divina per Spiritus Sancti ministerium. Etiam in Filio Dei incarnato ante exaltationem Verbum non nisi per Spiritum naturam humanam movebat et regebat. Effudit autem eum Deus in Jesum ut in Jesu se aptaret et accomodaret humanæ naturæ efficereturque in homine Jesu Spiritus hominis, vel, si Irenæi verbis utar, « ut cum ipso assuesceret habitare in genere humano[2] » et ex eo in omnes credentes proflueret. Naturaliter enim homo modo ex his duobus consistit, ex anima et corpore[3]; deest ei Spiritus, qui non nisi per Christum accipitur[4]. Soli igitur Spirituales sive Christi dis-

τοῦ δόξῃ πρός ἡμᾶς ἐλθεῖν ἠδύνατο · ἀλλ' ἡμεῖς οὐδε πώποτε τὸ μέγεθος τῆς δόξης αὐτοῦ βαστάζειν ἠδυνάμεθα · καὶ διὰ τοῦτο, ὡς νηπίοις, ὁ ἄρτος ὁ τέλειος τοῦ Πατρός γάλα ἡμῖν ἑαυτὸν παρέσχεν, ὅπερ ἦν ἡ κατ' ἄνθρωπον αὐτοῦ παρουσία, ἵνα ὡς ὑπὸ μασθοῦ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ τραφέντες καὶ διὰ τῆς τοιαύτης γαλακτουργίας ἐθισθέντες, τρώγειν καὶ πίνειν τόν Λόγον τοῦ Θεοῦ, τῆς ἀθανασίας ἄρτον, ὅπερ ἐστὶ τὸ πνεῦμα του Πατρὸς, ἐν ἡμῖν αὐτοῖς κατασχεῖν δυνηθῶμεν... Διὰ τοῦτο συνενηπίαζεν υἱός τοῦ Θεοῦ .. διὰ τὸ τοῦ ἀνθρώπου νήπιον οὕτω χωρούμενος, ὡς ἄνθρωπος αυτόν χωρεῖν ἠδύνατο... V, 38, 1. 2.

[1] Ordo promotionis justorum, motus meditationis ad incorruptelam. V, 31, 1.

[2] III, 17, 1.

[3] « Homo est temperatio animæ et carnis. » Præf. l. IV.

[4] Cfr. II, 33, 5, ubi Iren., commemoratis antea corporibus, animabus et spiritibus hominum justorum, nullam spirituum hominum damnatorum mentionem facit.

cipuli omnibus ad naturam hominis pertinentibus partibus gloriantur, soli integra fruuntur natura, soli homines perfecti sunt[1]. Hic vero Spiritus terrestris forma præsentiæ sive inhabitationis Dei Patris et Filii in homine est; summa manifestatio Dei est quam homo hac in conditione experiri potest, sublimioris tamen in alia futura conditione pignus. Hac per fidem animæ infusa virtute, homo vivificatur et innovatur[2], Deus deponitur in hominem[3], homoque paulatim præparatur et assuescitur ad capiendum et portandum Deum[4]. Spiritus super omnia hominis extendit efficaciam suam[5], omnia sibi assimilat, omnia transformat, quum animam, purificando eam a libidinibus, tum quoque carnem, asserviens eam animæ, infirmitatem ejus vincens, revocaturus eam denique post mortem ad altiorem vivendi formam[6].

b) Revivificatis igitur hominis non solum anima sed etiam corpore (nam homo substantia carnis carere non potest), incipit nova hominis conditio, in nova

[1] «Tria sunt ex quibus perfectus homo constat, carne, anima et Spiritu; et altero quidem salvante et figurante, qui est Spiritus; altero quod unitur et formatur, quod est caro; id vero quod inter hæc est duo, quod est anima.» V, 9, 1. 2. — «Perfectus homo commixtio et adunatio est animæ assumentis Spiritum Patris et admixta ei carni, quæ est plasmata secundum imaginem Dei.» V, 6, 1. — «Substantia nostra. i. e. animæ et carnis adunatio assumens Spiritum Dei, spiritualem hominem perficit.» V, 8, 2.

[2] IV, 20, 10.

[3] V, 1, 1.

[4] III, 17, 2; V, 8, 1. — «Communicatio Christi, id e. Sp. S., arrha incorruptelæ et confirmatio fidei nostræ, et scala ascensionis ad Deum.» III, 24, 1.

[5] «Chr., adunans hominem Spiritui et Spiritum collocans in homine, ipse caput Spiritus factus est, et Spiritum dans esse hominis caput; per illum enim vidimus et audivimus et loquimur. V, 20, 2.

[6] V, 8, 1; 9, 1 sqq.

terra et ad novam Dei revelationem exhibendam. Errant qui volunt animas hominum statim post mortem in supercœlestes transire regiones, nam eas in inferiore loco commorantes resurrectionem exspectare Scriptura credere jubet[1]. Non minus eos reprobat Noster, qui docent pios post resurrectionem illico cum Christo in cœlum recipi, sed cum Scriptura tenet in fine hujus temporum spatii, sex millibus annorum absolutis, inchoaturum Regnum gloriosum Christi exaltati super terram in pristinam perfectionem redintegratam (Rom. VIII, 19 sqq.; Matth. V, 4; Es. XI, 6 sqq.; LXV, 25 sqq.; Apocal. XXI, 1 sqq., etc.).

Hoc in Regno, quod mille annos stabit, omnes homines justi et pii, sive viventes transformati, sive e mortuis revocati, cum Christo dominationem exercebunt. Singuli vero diversa loca occupabunt, gloria et beatitudine secundum merita cujusque, inter se differentia[2]. Omnes tamen, magnis deliciis, innumerisque terrestribus bonis ornati, Deum Verbum, visibiliter in civitate sacra habitantem, contemplabuntur et cum eo et angelis suis conversabuntur. Hoc commercio nova rursus accipient cognitionis incrementa, Deum propiores tangent, præexercitabuntur ad vitam divinam altissimam[3].

c) Denique post certum tempus hac in conditione peractum, sanctorum quisque quum hac promotione

[1] V, 31, 1 sqq.

[2] V, 36, 1, 2.

[3] «(Per hoc regnum) qui digni fuerint paulatim assuescunt capere Deum.» V, 32, 1. — «Regnabunt justi in terra crescentes ex visione Domini, et per ipsum assuescent capere gloriam Dei Patris.» V, 35, 1. — «(Nova Jerusalem) in qua justi præmeditantur incorruptelam et parantur in salutem.» Ibid., 2.

dignus apparuerit, terra relicta corporeque deposito, in cœlum, h. e. in ipsius Patris societatem et consortium transgressurus est[1]. Tum absoluta est hominis progressio, tum opus Christi finem habet (1 Cor. XV, 26 sqq.)[2]. Per tres itaque gradus homo a Deum eruditur, per Spiritum ducitur ad Filium, per Filium ascendit ad Patrem[3]. Sic adimpletur et perficitur consilium divinæ Sapientiæ circa hominem « per quam plasma ejus conformatum et concorporatum Filio perficitur : ut progenies ejus, primogenitus Verbum, descendat in facturam, h. e. in plasma, et capiatur ab eo, et factura iterum capiat Verbum, et ascendat ad eum, supergrediens Angelos, et tunc fiet secundum imaginem et similitudinem Dei[4]. »

[1] « Deinde omnibus renovatis, vere in civitate habitabit Dei. » V, 35, 2. — Οἱ καταξιωθέντες τῆς ἐν οὐρανῷ διατριβῆς ἔκεισε χωρήσουσιν. V, 36, 1.

[2] V, 36, 2.

[3] « Visus est Deus tunc [vetere vigente fœdere] per Spiritum prophetice [sic Gr... M. St. *propheticæ*]; visus autem et per Filium adoptive; videbitur autem et in regno cœlorum paternaliter; Spiritu quidem præparante hominem in Filium [sic legimus cum plerisque Codd. — Gr. M. St. *Filio*] Dei, Filium autem adducente ad Patrem; Patre autem incorruptelam donante in æternam vitam, quæ unicuique evenit ex eo quod videat Deum. » IV, 20, 5.

[4] His verbis S. Pater opus suum concludit. *Tunc* cum M. adjicimus; Gr. conjicit pro fiet, *fiat*.

Vidi disputationis publice instituendæ præses
ED REUSS.

Typis mandetur
Academiæ Argentinensis Rector,
A. CHÉRUEL.

PROPOSITIONES.

I. CC. IX-XIV libri, qui in canone V. T. Zachariæ nomen præ se ferunt, eodem tempore quam prima hujus libri pars, h. e. post exsilium scripta sunt.

II. Veteri traditioni, cujus Irenæus et Clemens Alexandrinus nobis testes sunt, epistolam ad Hebræos a Paulo Apostolo conscriptam esse, ipsius epistolæ indoles non repugnat.

III. Apocalypsis S. Joh. post destructionem Hierosolymae scripta est.

IV. Jesus restitutionem populi Dei et reditum suum gloriosum prædixit. Dispensationem autem salutis, cujus Paulus Ap. minister fuit, non prævidit.

V. Paulus Ap., quum unius uxoris virum esse jubeat Episcopum (1 Tim. III, 2), bigamiam successivam reprobat.

VI. Irenæus, quum, a Gnosticis provocatus, ad traditionem appellet, Ecclesiæ Romanæ testimonium non propter majorem quamdam Episcopi Romani dignitatem, sed propter illius Ecclesiæ antiquitatem laudat.

VII. Christus potuit peccare.

VIII. Quia Dominus Noster « lapis offensionis et petra scandali » est, etiam miracula, quæ fecit, his ut credentes redimantur, illis ut indurati damnentur, proponuntur. Miracula esse credo, quia inepta sunt.

IX. Peccati fons est irreligio.

X. In regeneratione homo se habet mere passive.

XI. Rejicienda est distinctio inter Ecclesiam visibilem et invisibilem.

XII. Jus liberæ interpretationis non Ecclesiam constituere potest. Tantummodo inter constitutæ Ecclesiæ terminos legitime exercetur.

XIII. Apud omnes christianos constat, libertatem credendi et docendi in Ecclesia certis finibus ac terminis circumscribendam esse. Quum itaque non ipsa libertas in controversia sit, sed libertatis fines, injuste aliqui seipsos, ceteris exclusis, « christianos liberales » vocant.

XIV. Canonem Scripturarum Sacrarum esse oportet. Quæ autem scripta recipienda sint, et quam vim unaquæque ad formandam doctrinam habeat, hoc Theologia dijudicat.

XV. Nullus se a societate christiana propter externæ constitutionis ejus imperfectionem segregare debet.

XVI. Evangelium moribus cujusque nationis tanto facilius insinuabit, quanto majore in legibus libertate ea fruitur. Nam aucta libertate, augentur officia et vividior fit peccati sensus.

XVII. Fides præcedit intellectum (Anselmus). Ergo initium theologiæ timor Domini.

XVIII. Theologia est universitas disciplinarum quæ ad constitutionem Ecclesiæ pertinent (Schleiermacher). Ergo scopus theologiæ salus Ecclesiæ.